AD iiij. sic proceditur. videtur enim quod preceptum pape liget vniuersali
ter in omnibus. quia qui obligat ad maius obligat ad minus. sed illa que sunt de
regula xpiane fidei in quibus homo obligatur pape obedire maiora sunt quam illa que sunt
indifferencia. ergo in istis preceptum pape ligat ¶ Preterea preceptum dei ligat in omnibus
sed preceptum pape ligat virtute dei Iuxta illud luce. x. Qui vos audit me au-
dit. et qui vos spernit me spernit. ergo preceptum pape similiter ligat in omnibus
¶ Preterea Bernardus dicit Salutare credas quicquid prelatus iniunxerit. quodcumque er
go mandatum vicarius xpi tradiderit exequendum est vbi contraria diuine legi non
precipiat ¶ In contrarium est. dicit enim bernardus Non plus exigas a me nisi illa que
promisi. sed homo in religione xpiana non promittit omnia indifferencia seruare. non
ergo in omnibus preceptum pape ligat ¶ Respondeo dicendum quod in religione cristiana. cuius
papa monarchiam tenet aliqua precipiuntur. que sunt de salutis necessitate. Aliqua vero suadentur
que sunt de congruitate. Aliqua vero aguntur que sunt indifferencia. In primis quantum
ad illa que sunt explicita preceptum pape ligat virtute precepti diuini. Quantum
vero ad illa que sunt implicita ligat preceptum pape ex virtute clauium. quia suum est
determinare et declarare que sunt illa que quilibet profitetur obseruare in religione
cristiana In secundis vero et terciis preceptum pape non ligat. quia nec ligat preceptum
dei nisi forte racione contemptus vel nisi illa que creduntur esse indifferencia papa mandaret
intelligenda esse seruanda in professione cristiane religionis Dicit enim glossa super il
lo verbo math. xxiij Super cathedram moysi sederunt scribe et pharisei quecumque er-
go dixerint seruate et facite. quod precepta prelatorum tenenda sunt in hiis que pertinent ad
cathedram vel in hiis que reducuntur ad cathedram ¶ Ad primum est dicendum. quod
illa que in cristiana religione continentur tamquam precepta maiora sunt necessitate. quam con
silia vel indifferencia. non tamen sunt maiora congruitate. Vnde preceptum pape in illis li
gat ex necessitate. in istis autem non nisi quadam congruitate ¶ Ad ij. est dicendum
quod preceptum pape virtute precepti dei ligat. et ideo illa que a deo non precipiuntur
sed suadentur vel indifferencia habentur preceptum pape similiter ligare non
debet ¶ Ad tercium est dicendum. quod illud verbum bernardi intelligendum
est de humilitate et congruitate. non autem de necessitate

¶ Questio lxiiij. ¶ De predicacionis dispensatione

VLterius considerandum est de dispensatione predicacionis Circa quod que
runtur sex. Primo Vtrum dispensatio predicacionis sit in papa potestas
ordinis vel iurisdictionis Secundo Vtrum sine auctoritate pape con
ueniat episcopis predicare. Tercio Vtrum papa possit religiosos ad officium predicacio
nis assumere Quarto Vtrum papa religiosis petentibus et parantibus debe
at officium predicacionis conferre Quinto Vtrum sola auctoritate pape si
ne requisitione episcoporum et presbiterorum religiosi possint predicare Sexto
Vtrum magistris in theologia conueniat predicare ex officio sicut epis-
copis

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-587/0468
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG